



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XXXVI. In Tit. XXXVI. De Transactionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

petendo, pactum est cum causa, quo scilicet volui esse tecum liberalis; Vid Gibalin. tom. 1. l. 3. c. 1. a. 6. n. 2.

2615. Hæc limitatio tertia procedit etiam in promissione scripto facta, idque in utroque jure. Nam quantumcunque creditor exposcat debitum ex ejusmodi promissione, etiam exhibitione scripti, si causa expressa non sit, debitor absolvitur, nisi causam subesse probet, patet 1. ex L. cum de indebito 25. ff. de probat: ubi dicitur: *si de solutione indebiti quæstio est, & cautio indiscretè* (seu causâ non adjectâ, ex qua debeatur, gloss. ex Accursio) loquitur, tunc cum; in quem cautio exposita est, compelli, debitum esse, ostendere, quod in cautionem deduxit; & c. si cautio, de fid. instrument. expressè dicitur: *si cautio, quam quis indebitè exposuit, indeterminate* (seu non expressâ causâ debiti, ut ait gloss. hic) loquatur, adversarius tenetur ostendere, quod in ea continetur. Ubi: Barb. in hunc locum n. 1. ait: debitor absolvitur, si in scriptura debiti non exprimat causa, quare fuit promissum, nisi creditor probet causam. Et confirmatur quia stipulatio sine causa non valet. L. 2. §. circa. ff. de exceptione doli mali, junct. L. 25. §. fin. ff. probat. igitur nec simplex promissio.

2616. Ad 1. in contrarium in n. 1613. & negando assumptum, ut constat ex dict. à cit. num. §. affirmativam. Ad 2. ibid. mino-

rem negat Wadingus cit. §. 4. contendens ex nudo pacto dari actionem jure Prætorio: & 2. N. ma. quia ex edicto Prætoris non habetur imperium, factum Judici sub pœna coercendi violatorem talis pacti, secundus de Jure Canonico, per dicta n. cit. Ad 3. ibid. negandum est, ex dictis, quod allati Canones importent meram implorationem Judicis, ut impendat officium suum nobile laico ex violatione talis pacti. Ad 4. & etiam Jus Canonicum cupere lites minui, sed majori cautione peccati, quam non ita curat jus civile. Igitur illa ratio non militat eodem modo, Jure Canonico pro actione neganda. Ad 5. constat ex n. 2613. §. affirmativam, in fine.

Ad extremum nota, quod, quamvis etiam jus civile pacto nudo concedat actionem, cum apponitur causa, qua vestitur, ut dixi supr. adhuc tamen inter illud Jus, & Canonicum quoad hoc discrimen sit; quia de Jure Canonico sufficit causa, ob quam promittitur, in promisso expressa, vel notitia de ea per confessionem debitoris, aut legitimam probationem creditoris, esto id neuter executioni mandârit, quod promissit: jure autem civili requiritur, quod saltem ex parte unius paciscentium, promissum adimpletum sit; sic Cardinal. de Lugo cit. n. 57.

Molina D. 257. n. 10.

* * *

QUÆSTIO XXXVI.

IN TIT. XXXVI. DE TRANSACTIONIBUS.

Transactio, saltem aliquo modo reducitur ad pactum. Licet enim litem dissolvat; mutuo tamen consensu transigentium, obligationem utrinque parit ad standum pactis in transactione initis; & ideo statim subjungitur titulo de pactis; in transactione enim re ipsa intervenit pactum, quo uterque cedit aliquid, & aliquid acquirit, ut constabit per decursum hujus tituli.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit transactio?

2617. Ad 1. & quod transactio sumatur latè, & strictè. Latè, pro cujusque nego-

tij compositione, vel quolibet actu, quo ab obligatione receditur, L. Transacta ff. de Verb. signif. strictè, pro pactione non gratuita, super re dubia, & controversa, seu super lite incerta, necdum finita, ut colligitur ex L. 1. ff. de transact. Dicitur 1. *pactio non gratuita*; quia in transactione quælibet pars, propter dubium litis eventum, alteri aliquid cedere debet, L. Transactio 38. C. h. t. & ex hoc differt à compositione amicabile, per quam unus alteri gratis cedit; nullo dato, aut retento, c. super eo 7. h. t. ibi: tale damus responsum, quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest; etenim res sacra, ut possideantur aliquo pacto, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simonia; alias, si gratis,

gratis, & amicaliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare.

2618.

Dicitur 2. *super re dubia.* Nam si unus transigentium, tempore transactionis, sciat, nullum sibi jus competere super re litigiosa, vel accipienda, vel retinenda, tum transactio invalida est 1. in foro conscientiae; quia sic omni titulo caret ad illam accipiendam; vel retinendam; 2. etiam in foro externo. *L. in Summa 65. de Condict. in debit.* vel saltem (si Reus ita transigit) actione, vel doli exceptione rescindi poterit *L. sub prae-textu 19. C. h. t. junct. gloss. in c. 7. h. t. V. dato.* Si autem, bona utriusque fide, peracta sit, rescindi non potest, licet post hoc inveniantur probationes evidenter ostendentes, alterum non habuisse ullum jus super re, de qua transactum est; & in neutro foro nascitur obligatio restituendi sic acceptum, vel retentum, nisi laesio foret nimis gravis, praesertim, interventu alicujus fraudis. *L. Lucius, 78. §. fin. ff. ad senat. Consult. Trebell. & l. 19. ac 29. C. h. t. cum tali casu quilibet incerto eventui se sponte committat, sicut in ludo.*

2619.

Not. autem, quod hoc non procedat 1. si una pars dolo agat, fraudulenter occultando ea, quae manifestari debebant. *L. 19. C. h. t. secundo,* si constet, unum eorum laesum esse multum, & valde graviter *ultra dimidium,* Mynsingerus *Centuriâ 6. observ. 91. tertio,* si laesus esset *minor 25. annis;* vel *Ecclesia.* Nam his subvenitur restitutione in integrum. *L. 1. & 2. C. si advers. transact.* Dicitur 3. *de re controversa,* seu *lite incerta,* nimirum dubia, & incerta, *non utcung,* sed *propter litem motam,* necdum finitam; vel *movendam,* *L. 2. C. h. t. modo sit dubium in facto,* licet non in jure. *Wesembecius h. t. n. 5.* Hinc in transactione semper debet lis esse (*L. 1. ff. h. t.*) vel metui (*L. 2. C. eod.*) & aliquid dari, retineri, vel promitti; *L. 38. h. t.*

Ad 2. transactionem aliam esse *realem,* per quam scilicet res ipsa, de qua transigitur, afficitur, & haec transit ad haeredes cum ipsa re, *L. juris gentium, 7. §. Pactorum, ff. de pactis;* aliam *personalem,* quae afficit solum personam, dum vivit, & cum ea extinguitur, *c. de cetero 5. h. t. ibi de cetero noveris,* quod, cum aliquis ad extraordinarium Judicem literis impetratis cum adversario suo compo-

nit, postmodum in Ecclesia, de qua agitur, jus aliquod habiturus: si compositio non est juri contraria, non est à loci Episcopo reprobanda; sed census absque Episcopali auctoritate, cui praest, Ecclesiae sub hoc praetextu solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedit. Ex quo textu colligitur, per transactionem, factam sine auctoritate Episcopi, *Prelatum,* sed *non Ecclesiam* constitui censualem; adeoque in eo textu distingui *inter transactionem rei, seu realem;* qua nimirum obligetur res; & *personalem,* quae constituat obligatam personam.

ARTICULUS II.

De his, qui possunt, vel non possunt transigere?

Regula est, quod transigere possint **R**omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, ac donare, vel alio quovis modo alienare; *L. in re, 21. C. Mandati,* etiam si sint *foeminae.* *L. sanum 7. C. h. t. dixi, administrationem liberam;* hoc enim verbum importat casum, quo non requiritur alterius licentia, gloss. *in Clement. dudum, de sepult. V. liberè;* seu, quo non requiritur alterius auctoritas; *Barbosa in Clem. cit. n. 23.* adeoque, ubi res fieri potest non obstante contradictione; *Barb. in c. 3. de Offic. Ordinarij, n. 14.* Ex hoc per oppositum colliges, eos, qui non habent *liberam* administrationem, seu facultatem alienandi, transigere non posse. Et ideo *Tutor,* vel *Curator,* sine Judicis decreto, de bonis immobilibus, vel mobilibus pretiosis, quae servando servari possunt; *Procurator* cum mandato solum generali; *pupillus,* aut minor in damnum rerum suarum; *prodigus,* cui interdictum est bonis, transigere non possunt; quia non habent *liberam,* administrationem. *Procurator* etiam cum libera, & generali administratione, non potest transigere; *Barb. in c. 3. h. t. n. 2. nec habens mandatum generale cum clausula ratihabitionis;* idem *ibid. n. 5.*

2620.

Quamvis autem Abbas, vel Prior Conventualis Ecclesiae, cum Ecclesiastica, vel saeculari persona coram delegato, vel ordinario Judice transigere valeat; id tamen non potest *sine consensu Capituli;* secus tamen, si, praeter mandatum procuratorium

ad agendum, habeat literas à Capitulo, id est, quidquid super tali negotio egerit, ratum habebit; & multò magis, si habuit simplex mandatum transigendi, ut dicitur c. *Contingit* 3. h. t. ubi dicitur: si Abbas, vel Prior à Capitulo suo de ratihabitione transactionis, quam fecit Prælatus nomine Ecclesiæ, literas habuerit, *transactionem ab eo non posse revocari.*

2621. Not. præterea 1. prædictam regulam, quòd *Abbas, vel Superior Ecclesiasticus, sine consensu Capituli, transigere non possit*, intelligendam de transactione alienante res Ecclesiæ sic, ut recuperari non possint; secùs, si fiat solùm causâ litis terminandæ, reservato jure recuperandi rem, datâ pecuniâ, quo Ecclesiæ conditio evadat melior; sic gloss. *communiter recepta in L. Nulli* 13 ff. h. t. v. *Transigere.*

Not. 2. eandem regulam debere intelligi de transactione voluntaria, non necessaria, quæ scilicet fieri debet vi statuti, aut Principis jussu ad diurnas lites componendas, vel vitanda gravia scandala. Nam constitutiò, de bonis Ecclesiæ non alienandis, intelligenda venit de alienatione voluntaria; non ea, quæ sit necessitate cogente; sic Layman l. 3. *summa, tr. 4. c. 31. q. 1. n. 4.*

Not. 3. Prælatum Ecclesiæ, Ordinario subiectum, ad transigendum super rebus, & juribus Ecclesiæ, non tantùm indigere consensu Capituli, ut dictum est; sed etiam sui legitimi Superioris, cui talis Ecclesia subiecta est, ut definivit Alexander III. in c. *statuimus* 2. h. t. ubi casus est de transactione super decimis Ecclesiæ debitis, quam citatus Pontifex tenere definivit, si celebrata sit etiam de consensu Ordinarj; sic Barb. ibid. à n. 1. & alij, junct. gloss. v. *Personam.*

2622. Sed advertendum, quòd textus solùm loqui videatur detransactione super decimis, inter personas Ecclesiasticas, ubi: *statuimus, ut, si super decimis, inter vos, & personam Ecclesiasticam, de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata, & inconcussa persistat.* Et ideo Gonzalez hic n. 2. ex hoc textu sequentem assertionem deducit: *transactionem super decimis cum Ecclesiastica persona, & Superioris autoritate, valere.* Verùm id textus expressè non dicit; & ideo Gonzalez ad hunc textum ait, *non esse cer-*

tum, sed dubium, an transactio, de qua incit c. *Statuimus*, facta sit inter solas personas Ecclesiasticas, vel personam Ecclesiasticam, & Laicam. Nam, ut notat Hostiensis hic V. *inter vos*, hæc decretalis directâ fuit ad Laicos, cum quibus super decimis transactum est.

Videtur igitur dicendum, transactionem super decimis inter personas Ecclesiasticas cum consensu Ordinarj, omnino valere, ut habetur c. *statuimus* 2. h. t. Nec obstat, decimas jure Divino esse debitas Parochis, ut fusè probat Gonzalez hic n. 3. Nam in decimis Ecclesiasticis, excommuni Doctorum sententia, duo consideranda sunt. 1. obligatio alendi ministros Ecclesiæ, & hæc est juris naturalis, Divini, & Ecclesiastici; 2. quota, & quantitas decimarum, & hæc est juris tantùm Ecclesiastici, ut pluribus probat Suarez tom. 2. de *Relig. tr. de decimis, c. 9. n. 10.* Covarruy. l. 1. *Variar. c. 17. n. 2.* Azor p. 1. l. 7. c. 22. Ex quo sequitur, quòd transactio, consuetudo, vel privilegium in materia decimarum, locum habeat, cum versantur circa ea, quæ sunt juris tantùm positivi. Et ideo accedente justa causa, & Superioris auctoritate, jus decimarum, quoad quotam, rectè mutari, vel minui potest. Ex quo patet solutio ad rationem in contrarium. Concedo enim decimas, quoad substantiam, non autem quoad quotam, esse juris Divini.

Dices, in c. *Venerabilis*, 8. de *Confirm.* utili dicitur: super quibusdam decimis, mediante Albanensi Episcopo, tunc Apostolica Sedis Legato amicabilem compositio intervenit, quòd, quanto citius eam auctoritate Apostolica confirmari contingeret, statim deberet executioni mandari: ergo in transactione super decimis facta, necessaria est confirmatio, & non sufficit auctoritas Episcopi, vel Ordinarj. Verùm hic textus solùm agit de transactione super decimis inter Episcopum ex una, & Regem Cypri ex alia parte, ut constat ex inscriptione illius Capituli, & notat Innocentius Cironius apud Gonzalez cit. n. 8.

Dices 2. in c. *Veniens*, 8. h. t. etiam inter personas Ecclesiasticas requiritur auctoritas Papæ. Respondent aliqui eam transactionem fuisse inter Rectorem Ecclesiæ, ac Colonos Monasterij consequenter non inter

ter Ecclesiasticos; sed ex textu patet, eam transactionem esse factam inter Rectorem Ecclesie, & Monachos, quibus suberant Coloni, à decimarum solutione liberati.

Respondent alij, ideo in hoc casu desideratam esse Apostolicam auctoritatem, quia agebatur de re magni momenti, & graviori causa; causas autem graviores sumo Pontifici reservari, ut diximus alibi; sic Barbof. l. 1. *Univers. jur. Eccles. c. 26. n. 25.* quia agebatur de remissione magnæ partis decimarum. Sed hæc expositio non congruit textui, qui sic habet: *Veniens ad Apostolicæ Sedis Clementiam magister G. de Favil. sua nobis insinuatione monstravit, quòd Monachi majoris monasterij, terras in parocchia Sanctæ MARIÆ de Marchia excolunt, & ab eadem Ecclesiæ Coloni eorum omnia Ecclesiastica tam necessaria, quàm voluntaria suscipiunt Sacramenta, & tamen eidem Ecclesiæ decimas solvere contradicunt: arbitrantur autem, se posse tueri, cujusdam transactionis prætextu inter præfatos Monachos, & quendam Sacerdotem memorati Guilielmi prædecessorem facta, ut de duabus carrucatis terræ, quas in dominio suo Monachi tenent, tertiam tantum decimarum partem exsolvant: Mandamus, quatenus, nisi præfati Monachi transactionem præscriptam, auctoritate Apostolica confirmatam esse, docuerint, cum aliis inter personas facta potius, quàm inter Ecclesias videatur, ne pacta inter alios facta alijs obesse patiamur: ipsos, & agricolas, decimationes ex quibuslibet rebus provenientes, ex integro, & illarum, quas illicitè detinuerant, justam estimationem restituere eidem Ecclesiæ compellatis.*

Ex hoc textu colligitur. 1. transactionem illam esse factam inter Rectorem Ecclesiæ, & Monachos, consequenter inter personas Ecclesiasticas; 2. factam esse sine Superioris consensu, ut habet Rubrica *dict. c. 3.* non fuisse realem, sed tantum personalem, ut liquet ex textu adeòq; non fuisse validam, tanquam realem; & ideo nec præscriptione transactionis posse prodesse sine confirmatione Papæ *in vi transactionis realis*; eum facta sit sine solennitate *per modum privilegij, seu exemptionis à solutione decimarum Ecclesiæ Parochiali debitarum*, quam exemptionem solus Romanus Pontifex concedere potest, juxta

c. à nobis, 1. c. Ex parte, 10. c. ad audientiam, 12. c. penult. de decimis, c. si de terra, 61. c. accedentibus, 15. c. dudum, 31. de privileg.

Dices 3. ergo saltem transactio inter personam Ecclesiasticam, & Laicos facta, super decimis, non valebit, esto facta sit cum auctoritate Episcopi. Resp. probabilius concedi illatum, ut docet Suarez *cit. l. 4. de decimis, c. 51.* Gonzalez *ad c. 2. h. t. n. 8. in fin.* & alijs cum Rebuffo *de decimis, q. 13. à n. 17.* Et quamvis Barb. *in cit. c. 2. n. 3.* & gloss. V. *Personam*, velit, quòd valeat compositio inter Laicos & Clericos, ut minus, quàm decima res solvatur, vel de aliquibus rebus non præstetur; hoc tamen ibid. limitatè tradit. 1. si fiat cum utilitate Ecclesiæ, vel approbatione Summi Pontificis, aut talis compositio magno temporis intervallo 30. annorum firmata sit; sic etiam Abbas *in c. Albericus, de testib. in 6.* & Rebuff. *à n. 26.* aliàs enim auctoritas Episcopi extenderet se ad relaxandum jus commune, circa quorundam decimarum.

Si tamen contingeret, quòd inter Clericos, & Laicos, sine auctoritate legitimi Superioris, fieret transactio super decimis, non vitaretur *in totum*; sed valeret pro vita componentium, quin tamen eo mortuo, qui fecit, successori præjudicet. Ex quo colliges tale pactum, seu transactionem non fore perpetuam, nec parere obligationem, nisi personalem (quæ teneatur Clericus transigens) quin Ecclesiam afficiat; sic Layman *in c. statuimus, 2. h. t. n. 2.* & habetur tum *in c. de cetero, 5. eod.* ibi: *vitam Titij excedere non debet*; tum *in c. Veniens, 8. eod.* ibi: *cum inter personas transigentes tantum facta; Ecclesiam ipsam, & successores (seu Parochos) non afficiat.*

Præter hæc not. 1. quòd Superior alicui causam, secundum jura decidendam delegans, non auferat illi facultatem admittendi transactionem; cum partes ad concordiam reducere universim pertineat ad officium Judicis, ut constat *ex tit. 32. de officio Judicis.*

Not. 2. litigantem super beneficio coram Judice, à Papa delegato, transigere posse absque consensu Ordinarij; & sic factam valere, si alio titulo jure contraria non sit; sic Alexander III. *in c. de cetero, h. t.*

2625.

2626.

h. t. Ex quo textu, etiam illud habetur, per transactionem litis finiendæ institutam, auctoritate Judicis delegati onus imponi posse, non quidem ipsi beneficio Ecclesiæ, vel Capellæ, super qua transigitur; sed parti transigenti; *at solum ad cerum tempus*, nimirum vitæ ejus; ita textus.

Not 3. quòd, ubi jus expressum non est, Judex benigniorem partem sequi debeat, habita ratione personarum, loci, temporis &c. si autem lex expressa est, secundùm eam judicare, nisi supremus sit; sic Honorius III. in *c. Ex parte, fin. h. t.* ubi scribens ad Cardin. Presbyt. *tit. S. Prædis poteris*, inquit, *etiam ad componendum interponere partes tuas, & interdum aliquid severitati detrabere, prout* (statu imperij, & excedentium multitudine, provida deliberatione pensatis) *videris expedire*: exceptis nimirum casibus, qui compositionis, seu dispensationis remedium non admittunt, utpote *conjugij Sacramentum*, quod, cum non solum apud Latinos, & Græcos; sed etiam apud fideles, & infideles existat, à severitate canonica circa illud recedere non licebit. *In his verò, super quibus jus non invenitur expressum, procedas* (æquitate servata) *semper in humaniorem partem declinando*, secundùm quod personas, & causas, loca, & tempora, postulare videris: hoc tamen intellige de iis, quæ in Judicis potestate sunt. Nam compositio, transactio, & dispensatio ad ea se non extendit, quæ certam ex divina lege constitutionem, aut obligationem habent.

ARTICULUS III.

De quibus rebus transigi possit?

2627. **R**esp. transigi posse de omnibus dubijs, & controversis, nisi aliquo jure prohibeantur, ut docet Hostiensis in *Summa n. 3.* Talia sunt; 1. si quis alteri cederet spirituale, vel illi annexum, pro temporali. Nam talis transactio simoniaca foret, *c. super eo, 7.* de quo *supr. c. præterea, 9. h. t.* ubi ab Ornensi Episcopo rogatus Lucius III. *an teneat transactio, quando inter Laicos, & Viros Religiosos, de præsentatione alicujus Ecclesiæ, quæstione subortâ, transigitur, ita, quòd præsentationem Laicus obtineat; religiosi verò novam, vel majorem percipiant in Ecclesia, in qua prius*

nullam, vel majorem habere consueverant portionem? ad quod Pontifex, cum igitur ipsa pactio simoniaca merito videatur, respondit, *quòd de jure non tenet, nec ex ea religiosi ullum debent commodum obtinere.* Ex quo textu deducitur, quòd sicut super jure præsentandi, ita super annexo, non possit transigi, ut recedatur à lite, temporali aliquo interveniente.

Similiter transigi non potest de publico crimine capitali, *L. 18. c. h. t. junct. gloss. V. Capitali*; nec de criminibus publicis, non capitalibus; *L. 18. cit.* excepta accusatione de crimine falsi *L. penult. C. eod.* nec de privatis, in quibus criminaliter agitur *cit. L. 18.* nec de causis civilibus circa relicta in testamento, vel codicillo, in scriptis, si dubium oritur ex instrumento. Unde etiam non valet transactio de re per sententiam decisa, *L. 7. ff. h. t.* nisi dubitetur, an sententia sit lata? vel nisi appellatio, aut revisio intervenerit, vel adhuc appellari possit; *L. 7. & 11. ff. eod.*

Præter hæc not. 1. transactionem propriè dictam super beneficio, seu jure beneficali, si propria auctoritate fiat, tanquam simoniacam condemnari, *c. constitutus, 4. h. t.* ubi habetur, quòd inter Gasparem, & Alexandrum, Clericos, controversia erat super quadam Capella, quam ipsi per transactionem, fide invicem data, finièrunt. Sed cum Alexander transactione stare nollet, ad Pontificem causa devenit, qui respondit: *hujusmodi transactionem continere speciem simonia: quare eà in irritum revocatâ, controversiam inter dictos Clericos secundùm jura dirimendam esse.* Idem habetur in *c. super eo, 7. h. t.* ubi dicitur: *si de Ecclesiastico beneficio, aut quavis re spirituali litigetur, transactio fieri non posse, ita, ut retento, vel accepto spirituali, vicissim aliquid detur, vel remittatur: cum talis commutatio, seu reciproca obligatio, speciem simonia habeat: at verò, amicabilem, & gratuitam compositionem in talibus fieri posse.*

Dixi: *transactionem propriè dictam*, si scilicet causa beneficalis dubia sit; nam si possessor beneficalis liquidum jus habeat; & injusto petitori v. g. pecuniam offerat, non pro jure suo acquiendo, vel stabiliendo, sed solum redimenda vexa, vel injuria; in conscientia & coram Deo simoniæ Reus non erit; in foro

foro tamen externo ex præsumptione conventionis simoniacæ securus non erit; nisi alterius injusta vexatio notoria sit. Dixi 2. *propria auctoritate*; nam si uni parti litigantium, super beneficio, detur aliquid temporale: non in compensationem dubij juris, sed ob aliam causam, v. g. ob bonum pacis, & concordia, si Judicis auctoritate fiat, hoc factum damnari non debet, tanquam simoniacum, & illicitum; ut colligitur ex c. 2. *de Arbitris*; & c. *nisi* 21. *de præbend.*

2629. Not. 2. illicitam esse transactionem super jure *Patronatus* interventu rei temporalis, ut habetur c. *Præterea* 9. *h. t.* cum enim inter quosdam Laicos, & Religiosos, controversia esset de jure præsentandi ad Ecclesiam Parochialem, eamque sic transgressissent, ut jus præsentandi ad Laicos pertineret; Religiosis autem ex dicta Ecclesia pensio annua, quæ antea dari solita non est, proveniret: *hanc pactionem simoniacam esse respondit* Lucius III. ac proinde irritam, ex quo Religiosi nullum commodum percipere possint.

2630. Not. 3. nec super *Spirituali subjectione* licitum esse transigere data re aliqua temporali, per c. *Præterea*, 10. *h. t.* cum enim contraversia esset de Capella quorundam Monachorum, utrum subjecta esset Ecclesiæ matrici? Monachi *confitebantur subjectam olim fuisse*; sed postea *transactione quadam liberatam*; quia censum annuum constituerant matrici Ecclesiæ solvendum, ut Capella à subjectione ejus *eximeretur*. Sed pro majore, seu matrice Ecclesiæ allegabatur, quod super *Spirituali subjectione* transigere non liceat. Ad hæc respondit Coelestinus III. cum Fratres confiteantur, *Capellam illam matrici Ecclesiæ subjectam fuisse*; at verò *per transactionem*, quippe irritam & simoniacam *liberata non sit*, ideo contra illos sententiam ferendam esse. Neque referre, ait Pontifex, quod determinatè non sciatur, quantus fuerit census ille; quia quantumcunque fuerit, constat transactionem de censu solvendo pro exemptione à Spirituali subjectione simoniacam esse.

Ex hoc textu colliges 1. in pacto simoniæ non attendi (an quis pro acquirendo beneficio, vel re Spirituali, multum, vel parum dederit) si adfuit animus reciprocam pactionem instituendi. Sic enim

Tom. I.

verè jam appretiatum spirituale re temporali, ut constat ex textu. Colliges 2. ubi constat locum aliquem, vel personam olim alteri subjectam fuisse, præsumi adhuc subjectam, nisi contrarium ostendatur. Nam, *olim subjectus præsumitur etiam hodie subjectus*; & *olim possessor, etiam hodie præsumitur possessor*. Sic Alciatus *de præsumpt. Reg. 2. præsumpt. 12.* Covarruv. *in c. Raynutius, de Testam. §. 11. n. 2.* Colliges 3. quod, si Reus per exceptionem confiteatur aliquid, quod deservit intentioni actoris, Actor possit confessionem rejicere, vel acceptare, ex eadem oppugnando Reum; prout contigit in præfenti casu, ubi Monachis excipiendo dicentibus, *se super subjectione transgressisse*, Actor confessione usus, acceptavit confessionem prioris subjectionis; nec transactione, utpote simoniacâ, sublatam, vel extinctam esse probavit, ut liquet ex dictis: Colliges 4. super re judicata transactionem fieri non posse, per L. 32. *C. h. t.* & L. 23. §. 1. *ff. de Condict. indebit.* Nam res judicata non est res dubia, nec lis incerta; quia pro veritate habetur, L. 207. *ff. de Reg. juris*; intellige, si certum sit, sententiam latam, aut rem judicatam esse; L. 11. *ff. h. t.*

ARTICULUS IV.

De forma transactionis, & ex quibus causis rescindi possit.

2631. Not. spectato jure naturali, & Canonico, nullam certam *verborum* formam requiri ad transactionem, & fieri posse vel purè, vel sub conditione, L. 9. *C. h. t. in*, vel *extra* iudicium; *cum*, vel *sine* scriptura, L. 28. *C. eodem*; modò pro remissione litis aliquid contra præstetur, aut fiat (nam in hoc præcipuè forma transactionis consistit) & fiat super re dubia, ac jure incerto, L. 2. *C. h. t.* Not. 2. posse etiam apponi poenam solvendam ab eo, qui recesserit, L. 15. 37. & 40. *C. h. t.* & si poenæ adjiciatur clausula, *rato manente pacto*, contravenientem ad utrumque teneri, L. *qui fidem*, 16. *ff. h. t.* L. *cum proponas*, 17. *C. cod.* Ceterum, modus transigendi an pacto nudo? an contractu nominato? vel innominato? (sic enim fieri posse habetur ex L. 2. *ff. h. t.* &

Hh hh

L. 6.

L. 6. ac 15. C. eod.) est extra substantiam transactionis.

2632. Not. 3. transactionem specialem, de re aliqua certa, vel sub certo titulo, non extendi ad alia, L. si unus, 27. ff. de pact. junct. gloss. V. noceat, & L. 3. C. h. t. Si autem sit generalis, seu indefinita, æquivalere universali, & extendi ad omnia particularia sub eo genere contenta, L. tres Fratres 35. ff. de pact. & L. 29. ac 31. C. h. t. excipe 1. nisi aliquid dolo in transactione universali occulteretur; 2. nisi sit aliquid eorum, de quibus non præcessit tractatus.

2633. Cæterum transactio, jure civili, duobus modis fieri solet 1. simplici acceptilatione, quod fit, cum debitor, cui movetur, vel movenda esset lis, offert aliquid v. g. pro 100. de quibus est lis, 50. & interrogat, an sibi 50. velit? & 50. solvat; ac Creditor seu Actor respondeat, se acceptare, ut colligitur ex L. 2. ff. h. t. & L. 15. C. eod. secundò acceptilatione, præcedente Aquiliana stipulatione v. g. cum Titius præterdit à Cajo sibi deberi centum, e. g. ex venditione, vel alio simili contractu citra stipulationem; & Titius Cajum interroget, an, quod debet ultra 50. promittat se soluturum, animo novandi? & Cajus respondet: promitto, simul sub hoc interrogans Titium actorem, an hoc habeat acceptum, & is respondeat: habeo; dicitur Aquiliana stipulatio, ut explicat glossa in cit. L. 2. in casu.

2634. Ad alteram partem tituli h. transactionem rescindi posse ex varijs causis 1. ex interposito metu injustè incusso, L. 13. C. h. t. secundò, si dolo extorta sit, L. 13. & penult. h. t. (ut si instrumenta noviter reperta essent, prius dolo è occultata. Si læsio contingat dolo; transactio rescindi potest, non autem secus; esto in re læsio intervenierit, sed sine dolo; & hoc ex L. Lucius 78. & ult. ff. ad S. C. Trebell. Nam ibi rescissio transactionis super universali fidei commissio totius hereditatis negatur; licet ex instrumentis deinde pateat magnam læsionem intervenisse. Tertio, si intervenit error substantialis L. 29. C. eod. quartò, mutuo consensu partium, L. 14. C. eod. quintò, per errorem calculi, nisi & super hoc errore transactum sit, L. unic. C. de errore Calculi: sextò per restitutionem in integrum, intellige, si exinde læsio contingat. Nec obstat, L. 5.

C. de dolo malo, ubi tribuitur actio in factum in transactione immodicè læso; quia dicta lex procedit in casu læsionis interveniente dolo, ut patet ex ultimis ejus verbis; similiter quando L. 65. §. 1. ff. de Condict. indebit: conceditur repetitio, intelligitur, ubi intervenit transactio solum imperfecta, vel aperta calumnia.

ARTICULUS V.

De effectu transactionis.

2635. PRIMUS, & principalis effectus transactionis semel bona fide, & legitime celebrata, est, finire litem, L. 10. C. h. t. Hinc invita altera parte transigentium, revocari, aut rescindi non potest, L. 5. C. h. t. & L. 16. C. eod. nec quidem sub prætextu novorum instrumentorum ad litem sopitam pertinentium, L. 19. & 29. C. h. t. esto adhuc res integra sit, & contractus ex neutra parte completus, L. 39. C. h. t. nisi instrumenta prius dolose occultata essent, ut diximus in præcedentibus. Hinc omnia instrumenta, probationes, & jura partium, in contrarium allata; post ritè factam transactionem, irrita sunt, & inania, c. sicut grave 1. h. t. ubi habetur, quòd personæ quædam Ecclesiasticæ controversiam, quam inter se, de bonis, aut juribus suis habebant, salubri transactione finierint, petentes à Gregorio 1. Pontifice, ut eam auctoritate sua confirmaret: quamobrem, respondit Pontifex, instrumenta omnia, & quidquid aliud est, quod parti uni, aut alteri, super causis transactione finitis: favere possit, jam pro irritato, & vacuo habendum esse solamq. transactionis conventionem observandam. Sed, etsi in ea per incuriam, vel imperitiam defectus aliquis commissus sit, se illum Apostolica auctoritate, & confirmatione, ex certa scientia supplere.

Ex hoc textu sequitur, transactionem, bona fide, & sine dolo factam; parere exceptionem litis finita, ut instar rei judicatae haberi debeat, ita, ut si gravis læsio partis post transactionem appareat propter nova instrumenta postea reperta, tamen transactio firma sit, nec rescindi debeat; nisi læsio facta sit in ipsa transactione. Hujus postremi ratio est ex Layman in cit. c. 1. n. 2. quia, si læsio contingat in ipsa transactione, ubi jus revera dubium, quod una pars habebat, majus, aut majoris ponderis tunc

tunc erat, quam æstimabatur, inæqualitas hæc in conscientie foro ad æqualitatem reduci debet: imò etiam in conscientie foro remedium rescissionis (ex L. 2. C. de rescind. vendit.) dari deberet, perinde, ut in aliis onerosis, ac reciprocis contractibus, si læsio ultra dimidium iusti fuit; sicuti bene cum Bartolo, & aliis docet Molina *tr. 2. de iust. D. 556. n. 16.*

2636. Not. tamen, talem rescissionem in transactionibus concedi vix solere, nisi læsio *enormissima* sit; ideòque dolus præsumatur; uti docet Layman *in c. ult. n. 2. & hic, n. 2.* vel nisi minor natu, aut Ecclesia in huiusmodi transactione læsa sit; tum enim ei iudicis officio succurritur per in integrum restitutionem, juxta L. 1. & 2. C. *si adversus transactionem.*

Alter effectus est, quòd, esto transa-

ctio, actionem civilem non pariat, si celebrata sit *nudo pacto* (nam ex nudo pacto de Jure Civili non nascitur actio per superius dicta) pariat tamen exceptionem, L. 17. C. *h. t. nimirum litis fuita, c. 1. de litis contestatione in 6.* Et quamvis sit exceptio peremptoria, tamen opponi potest ante, vel post litis contestationem; & litem decedit, ac si res in iudicio decisa esset; & ideo in *c. 1. h. t.* vocatur, *decisio cause*; quia æquiparatur rei iudicatae; L. 20. C. *h. t.* non tamen nisi inter partes; Zoësius *hic n. 4.* Pro fine notandum, eum qui fuit *Advocatus* alicujus in certa causa posse postea esse testem ejusdem in instrumento transactionis super ea, *c. ex literis, 6. h. t.* quia sic non est *Advocatus*, & testis, *in eadem causa.*

* * *

QUÆSTIO XXXVII. IN TIT. XXXVII. DE POSTULANDO.

2637. **P**ostulare, hic idem est, ac in iudicio apud iudicem exponere suum, vel amici desiderium, vel alterius desiderio contradicere; L. 1. §. 2. ff. *h. t.* Est munus *publicum*, & hoc sensu tam pro Actore, quam Reo postulari potest; imò etiam ij, qui Advocati non sunt, dum pro se causam agunt apud iudicem, postulare possunt. Cæterum *postulare*, strictius loquendo, sumitur *pro munere Advocati*; qui alias etiam Patronus causæ, Orator, & Causidicus vocatur, ut notat Tholosus *in Syntag. Jur. Univers. c. 2. n. 6.* Nam huius jus est, postulare pro alio, nimirum, ut clienti jus suum reddatur, de qua *1. Cod. in Tit. de Advocat. divers. Judic.* quamvis autem, & *Advocatus*, & *Procurator*, *postulare* dicantur; tamen plures inter eos differentie numerantur à Pirhing *h. t. n. 2.* his positis.

ARTICULUS I.

Qui possint postulare de jure civili?

2638. **R**esp. quòd omnes, qui nullo jure prohibentur. Prohibentur autem aliqui edicto, aliqui lege, aliqui sententia. qui prohibentur *edicto*, sunt in triplici ordine. Nam aliqui prohibentur *in totum*, ut nec pro se, nec pro alijs postulare possint; tales sunt minores 17. annis; furiosi, surdi;

Tom. I,

L. 1. §. 3. ff. *h. t.* aliqui tantum pro alijs, ut mulieres; cæci; infames; *cit. L. 2. §. 59.* Excipe tamen mulierem ratione tutelæ in causa filij; arg. *c. Ex parte 67. de appell.* Layman *in c. de Judic. n. 3.* aliqui pro certis tantum possunt, nimirum, parentibus; liberis; fratribus; sororibus, uxoribus; & alijs conjunctis, fortè ad quartum gradum, ut notat Pirhing *hic n. 4.* quibus adde illos, qui pro alijs tutelam, vel cautionem gerunt, L. *cit. §. est æquissimum*, & §. *ut initio*; & omnes infames, *c. Infames 3. q. 7.* Nam infames, *edicto*, ne quidem volente adversario, admittuntur L. 7. ff. *h. tit. Lege* prohibentur, qui SS. Ecclesiæ Mysterijs non sunt imbuti, *c. fin. h. t.* Judices, & Arbitri, in eadem causa; L. 6. C. *h. t.* Potentiores, L. 1. & C. *ne potentior*; Pacti cum altero de quota litis L. 5. 1. C. *h. t.* vel alio pacto, quo alios vexent, inito, L. 6. §. 2. *c. h. t. sententiã* verò prohibentur omnes, quibus vel in totum, vel ex parte advocantibus est interdictum, L. 8. *c. h. t.* Et hæc de jure civili. Not. autem, litigantes posse sibi pro libitu *Advocatos* eligere, L. 2. *c. h. t.* quamvis interdum contingat, si partes ob inopiam, vel metum potentioris adversarij *Advocatum* habere nequeant, illis aliquem à iudice assignari ex officio, *ex L. 1. c. h. t. & ff. 7. L. eod.* Et

Hh hh 2

quo-